

GEORGII

AGRICOLAE MEDICI

BERMANNVS, SIVE

DE RE METALLICA.



Basileæ, in ædibus Frobenianis

Anno M. D. XXX.

Vitæ Fratris Evangelistæ Noni.

Bibliothecæ, Cœmiterii Catalani.

20-18.

LIBR. CATALAN.

ipsa ostendere posset. BER. Permultū
 possunt. Sed ut latine res ipsæ dicātur uo-
 bis considerandum erit. AN. Eas primo
 qua potero diligentia inquiram, deinde
 cum ad te rediero de nominibus disputa-
 bimus. Ceterum quia iam dixisti aurum,
 argentum, æs, ferrum, præterquam quod
 sui coloris & pura in uenis reperiuntur, è
 diuersa materia excoqui posse, ipsam, etsi
 hic indicare non possis, recenseas rogo.
 Proderit enim non parum, cum olim eo-
 rum metalla inuisemus, hæc ipsa ex te au-
 diuisse. BER. Non aggrediar ad ea quæ
 hic nō reperiuntur, ut latius uagando ne-
 errem. Nam nostra uix mihi satis cogni-
 ta & perspecta sunt. AN. Ambo te, ne
 grauate in ista re meæ morem geras uo-
 luntati, noui enim hæc tibi minime es-
 se ignota. BER. Si ita tibi uidetur dicam
 aliqua. Auri puri massas, quas palacas Hi-
 spani dicunt, reperiri cum in fluminibus,
 tum in ipsis puteis Strabo & Plinius, qd
 uobis ignotum nō est, asserunt. Eiusdem
 scintillæ quasi ad saxi quoddam genus can-
 didissimum, quarzum nostri uocant, ad-
 hærescit, id Cotteneheidæ foditur, quod
 te Næ/

& quod ferri colore est, quodcūq; ex his fuerit plerunq; argento magis quàm pyrites abūdat. AN. Variā genera saxi hoc loco conspicio. BER. Omnino. Atq; hic primum uides saxum scissile colore quasi ceruleo, quod aliquādo nigrius, aliquādo albidius esse solet. Alterū genus hoc est, quod interdū perspicuum quasi esse uidet, quarzum nostri uocant, modo candidissimum, modo subluteum, modo subcæsum. Tertium Spatum appellāt, quod politius & densius est. Quartum ut plurimum longe durissimum est, cui à cornu cuius colorem non raro referre uidetur, nomen indidere. Partes autem eius saepe adeo contiguæ sunt, ut unā ab altera uisus discernere non possit, aliqua interfectione conspecta. Quintum harenosum nominant, quod harena quodāmodo cōcreta esse appareat. Sunt autem alia complura genera in fodinis ærarijs potissimū inuenta, quæ hoc loco uobis indicare nō possum. Reperiūtur uero omnia ista tam in pendente quàm iacente uenæ, atq; nōnulla etiam in uena ipsa. Sed nūc domū, quia id temporis est, redeundum censeo.